

conservatur, id à DEO quoque produci necesse, at verò omnia, à DEO conservantur, ergò omnia à DEO producuntur, adeoque ipsa etiam actio causæ secundæ. Minor est in confesso. Majoris autem veritas inde elucescit, quia inter DEI conservationem & ejusdem productionem tam arctus datur nexus, ut à parte rei pro una eademque actione habeantur, quæ differat saltem diversis connotatis. *Hinc Thomas p. 1. summ. Theol. quest. 104. art. 1. concl. 5.* conservationem vocat *creationem continuatam*; qua in re multos habet sequaces: Eadem actio ait *B. Sclev.* Vir profunda eruditione ævis sui celeberrimus *Disp. Theo 2. 16. §. 18.* quatenus immediate supponit termini carentiam, prima productio; quatenus immediate ante existentiam ejus supponit, conservatio dicitur. Item *Svarezius Disput. XXI. Sect. 2. num. 2.* ait: Creatio dicit effectiorem rei, connotando, quid antea non fuerit: conservatio autem dicit eandem effectiorem, connotando, quod res antea jam fuerit. Uberius hæc omnia prosequuntur *Becanus l. 1. Theol. schol. Tract. 1. cap. 18. Vazquez part. 1. summ. Disput. 172. num. 11. & Disp. 174. num. 17.* aliique plures. Ex quibus sole meridiano dilucidius constat, creationem & conservationem, cum à parte rei sint idem, non nisi per extrinsecam quandam denominationem & diversa connotata à se invicem differre. Quibus suppositis, id quod à Deo quoad sui conservationem dependet, non potest non quoad sui productionem, ex ratione jam assignata ab eo dependere.

§. 19. Nec malè pro nostra sententia stabilienda à creaturarum subordinatione argumentando progressus fueris, hunc in modum: Omnis causa essentialiter alteri subordinata, ab ea, cui subordinari dicitur, in operando dependet, sed causa secunda DEO essentialiter est subordinata, quod nec ipsi adversæ partis defensores negare audent, ergò in operando dependet à causa prima. Major constat

ex